



Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

VII. De obiecto, & actibus voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

renueret, appetitus vero cuperet turpe obiectum,
similiaque absurda sequi facile intelligitur. Ratio
autem à priori est; quoniam appetitus sensitiuus
sequitur cognitionem sensus, in qua nesci discursus
est, neque ratiocinatio, aut inquisitio diuerso-
rum mediolorum, neque item vniuersalitas in co-
gnitione, ex qua proinde possit oriri libertas in ip-
so appetitu, etenim libertas oritur semper ex in-
differentia aliqua cognitionis, vt latius dicemus
cap. 8.

Ad argumentum ergo aliter respondendum, appetitum scilicet dici politice obedire, non quod obediatur liberè, neque enim in omnibus ad vnguem feruandus est similitudo, sed quia renuere potest: namque bonitas aliqua in obiecto apparet, moueri potest ad illius appetentiam, præcipue si ex parte qualitatum naturarum & passionum incitetur, vt enim notauit. D. Thom. 1.2. q. 17. a. 7. alterationes ea; quæ sequuntur ex passionibus, læpe rationem præueniunt, læpe etiam physica alterationes sunt præuenientes etiam actum ipsum sensitiui appetitus, suntque proinde naturales vndequaque, atq; appetitum excitantes: liquet igitur quomodo appetitus rationi obediatur.

7
Dubium
subortum.

Etiam re-
lucio.

Vide l. 2. de
Gen. c. 18.

Restat vero dubium, an appetitus obediatur
rationi circa obiecta supernaturalia versanti. Appa-
ret enim id impossibile: nam boni spiritualia, vt
sic cognitionem sensitiuam excedunt, præcipue
si vt supernaturalia considerentur: sic enim ac-
Deum, vt spiritualis finis est, ordinem habent,
quod ita sensu percipi minime possunt. Dicendum
breuiter, appetitum sensitiuum non posse moueri
à supernaturalibus, vt supernaturalia tant, ob ra-
tionem factam: attamen ex cognitione, & amor-
reum supernaturalium in intellectu, & volunta-
te existentibus moueri sæpe appetitum, quod do-
cet D. Thomas 2. 2. q. 31. art. 1. ad 4. & adducens illu-
Psalmi 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum*
uium, id quod etiam experientia confirmat: nam
ex consideratione supernaturalium oritur sen-
sibilis delectatio in appetitu etiam vsque ad lacry-
mas, quod indicio est, ipsum appetitum ferri
per amorem in res illas, quod exponi potest in
modum. Namque cum intellectus supernaturali-
considerat, formantur in cogitativa phantasma-
ta signum nulla representantia obiecta eadem sub ra-
tione aliqua sensibili, tanquam propria bona
ipsius appetentis, vnde iam appetitus ipse moue-
tur, cogitatione scilicet illarum rerum, & tunc de-
ferri aliquo modo in Deum ipsum valet: sic men-
Deum concipit sub aliqua ratione sensibili, tunc
que pariter imaginatio format sibi idolum cuius-
dani boni sibi maxime convenientis sub ratione
sensibili, vt creatis, seu consensantis: hoc ergo
modo potest moueri appetitus ex cognitione su-
pernaturalium.

CAPVT VII.

De obiecto, & actibus voluntatis.

Doctrina de voluntate, si radicitus esset incul-
canda, oporteret totam fere philosophiam
moralem hucaduocare, quod præter institutum
esset. Netamen omnino indiscussa relinquatur
nobilissima potentia, de illa breuiter dicemus
quæ maxime ad rem pertinere videbantur. Est au-
tem supponendum, voluntatem esse potentiam
animæ rationalis, vt sic, atq; adeo esse potentiam
spiritualem, quæ comitatur intellectum, & orga-
no caret, prout omnia ex supradictis lib. 1. cap.
& sequentibus facile constare possunt: atque et-
iam colligim hac potentia non esse distinguendas
irascibilem, & concupiscibilem secundum rem
sed ratione solum, quod hic multo certius habet

tur: quoniam potentia hæc immaterialis est, atq;
adeo vniuersalis in suo genere: his ergo positis re-
sta: dicendum de obiecto, & actibus huiusce po-
tentia:.

In qua questione materiam de actibus, & obiecto voluntatis simul comprehendimus: siquidem ² *affertur* quod ad philosophum naturalem attinet, nihil ¹ *mandatur de* ferre de his dicendum restat. Quare circa obiectum ² *quæ respicit* fit prima conclusio. Obiectum voluntatis est bonum in communi. Ita patet ex dictis ¹ *supra in c. 2.* Nam obiectum potentia appetitus oportet esse quippiam sub ratione boni, sed voluntas appetitua potentia est: ergo obiectum illius aliquam rationem boni induit, & non peculiariter aliquam boni rationem, cum nullum sit bonum, in quod voluntas ferri non possit: tendit ergo in communem rationem boni. Confirmatur primo: quia ¹ *Confirm. 1.* voluntas est in supremo gradu potentiarum appetentium: ergo est potentia vniuersalissima in illo genere: ergo habet vniuersalissimum obiectum, quod est bonum in communi. Confirmatur secundo: quia voluntas consequitur intellectum: ergo eius actus eo se extendit, quo apprehensio intellectus: sed hic potest apprehendere omne bonum: ergo & voluntas ipsum persequi. Quomodo autem voluntas versari queat circa malum, patet ex 2. cap. iam citato.

Sed arguit Scotus, ens etiam non bonum obiectum esse volitatis, quoniam ens vniuersalis est, quam bonum: nam malum etiam ratione entis habet; voluntas autem potentia vniuersalis: ma est: ergo, &c. Occurrendum primo, voluntate esse potentiam vniuersalissimam in suo genere, nempe in ratione potentie appetitiue, atque intra illud genus habere vniuersalissimum obiectum: huiusmodi autem est bonum tantummodo vt patet ex dictis. Secundo occurrendum tam vniuersale esse bonum, quam ens ipsum, cum fit eius passio conuertibilis. malum autem potius entitate priuat, solumque dicitur ens quatenus suo modo fundatur in bono. Vergebis vltierus. Sicut intellectus se habet ad verum; ita voluntas ad bonum, sed intellectus obiectum non assignatur verum, sed ens: ergo neque voluntatis debet assignari bonum. Respondeo quæstionem esse de nomine quia obiectum etiam intellectus potest assignari verum, communiter tamen ponitur ens, quia est clarior eius ratio. Interest nihilominus inter intellectum, & voluntatem, quod ille non quolibet actu nquit distincte rationem veritatis in actu signato, sicut quolibet noscat rationem entis in re qualibet, attingendo entitatem, attingit etiam veritatem: per actus tamen assentiendi cognoscit intellectus distincte veritatem, ac ratione talium assensuum proprie dictum est intellectum versari circa verum, nam simpliciter cognoscendo circa ens potius tanquam circa rationem cognita versatur. At vero voluntas ad amandum non solum requirit cognitionem rei, vt res est, sed etiam cognitionem obiecti secundum bonitatem, nam nisi ratio boni non cognoscatur, voluntas non appetit, quod iudicio est, voluntatem ferri in rationem boni, tanquam in rationem volitam. Est ergo inter vtramque potentiam patens discrimen hoc in parte. Et hæc de obiecto voluntatis.

Circa actus deinde oportet notare eos omnes
in voluntate reperiri, qui reperiuntur in appetitu
sensitivo, amor, desiderium, spes, &c. licet modo
altiori, quoniam in voluntate spirituales sunt, ne
que dependentes quoad esse a passionibus corporis
etiam naturalibus: ac ferri possunt circa finem
& circa media, cum utraque habeant rationem
boni, & utraque ab intellectu sui propria ratione
sue bonitatis, medijs scilicet atque finis cognoscitur.
Hinc tam colligitur prima divisio actuum vo-

De subditi-
sione amoris
in amicitia.
Et concupis-
centia. 1. 2.
tract. 4. diff.
1. 5. 6. 7.

luntatis. Nam alij circa finem versantur, alij circa media: quia vero finis potest considerari, vel propter bonum absolute, vel prout habendum, vel ut habitum, ideo circa finem potest esse in voluntate amor, ac desiderium consequendum illi, qui actus alias dicitur intentio finis, & tandem fructio, seu gaudium de fine iam obtento. Medium vero duplex esse potest, aliud quod solum habet rationem medij, quia est primum medium, ad quod nullum aliud ordinatur, nec propter se est appetibile, sed tantum in ordine ad finem. Aliud est medium, quod videlicet media inter finem ultimum intentum, & media priora, ac respectu aliorum est finis, respectu vero ulterioris finis, est medium: si ergo huiusmodi medium consideretur ut finis, habet eandem rationem, quam finis ultimus, nam intendi potest, & desiderari, & delectari si obtineatur. At circa medium, ut medium, duo versantur proprie actus voluntatis: nimirum electio, & usus nam postquam voluntas intendit finem, statim intellectus conciliatur de medijs congruentibus, ac voluntati proponit, circa quæ ipsa duo præstat. Primum est acceptare aliquod illorum, quod est consentire, vel eligere, consentire enim quadam ratione est commune nomen conveniens cuicumque volitioni, & amoris, siue sit circa finem, siue circa media, quomodo communiter dicimus peccatum consummari per consensum voluntatis, at tamen consensus proprie significat applicationem illam voluntatis ad aliquod medium, quæ sequitur ex præmissa consultatione intellectus, quæ acceptatio si sit efficax, & separans unum medium ab alijs, illudque præferens, dicitur electio: facta autem electione necessarium est, ut id medium executioni mandetur, cui deferunt usus: qui actus quidam est, quo voluntas applicat potentias omnes ad operationes sibi necessarias, nam mediū electum propter executionem certe eligitur. Quare si forte exequendum sit à manu, habet voluntas potestatem ad eam operi applicandam, & similiter de alijs: nam cum voluntas respiciat univertale bonum, necessarium est apud se habeat vim mouendi omnes vires animæ, & applicandi illas ad propria earum munia: hæc ergo applicatio, usus vocatur, atque hi sunt ferè omnes actus voluntatis: de quibus plura apud D. Thomam 1. 2. q. 11. quæ tamen ab hoc loco sunt aliena, propria vero moralis discipline.

5
Altera par-
ticipio.

Ex his porro colligitur distinctio communis de duplici actu voluntatis, elicto scilicet, & imperato. Elicitus est, qui ab ipsa voluntate immediate fit: imperatus est alterius potentie humanæ, quæ subditur vsui, & motui voluntatis: nam actio partis vegetatiuæ, & motio cordis continua actus imperati non sunt, vt propter quæ sub potestatem nostram per se, ac directe loquendo non cadunt, (quod ideo addimus, quoniam remotè subditi aliquomodo possunt voluntati: si aut alimentum nobis ipsis subtrahamus, aut forte violentia alia vitam eripiamus.) Simile vero est de quibusdam membrorum motibus naturalibus, generatiuæ partibus, quæ proueniunt multoties ex alteratione naturali, neque in potestate hominis existunt, teste Aristotele de animalium motu circa finem, & sancto Thoma ibidem lectione 10. in principio. Tam vero sensuum externorum actus quodammodo sunt imperati à voluntate, quoad applicationem scilicet potentie ad obiectum: at facta semel applicatione sensus necessario exit in actum, neque ea in re obedit voluntati: sensus deinde interior veluti imaginatio pendet etiam in actu suo à voluntate, quæ potest illum mouere ad operandum, sæpe tamen imaginatio ipsa voluntatem præuenit, offertque obiecta plurima, voluntate renuente: unde proueniunt importunæ cogitationes: communi-

FRANC. SUAREZ DE ANIMA.

ter tamen si intellectus, & voluntas aduertant, illas valent reprimere, quamuis non sine difficultate: sæpissimeque non valent propter corporis indispositionem, vel certe quia impossibile est intellectum nunquam omnino distrahi, operationes etiam intellectus sunt à voluntate imperatæ, quia exercentur voluntarie, vt experientia constat, & etiam S. Th. docet 1. p. q. 82. a. 4. cuius rei ratio vniuersalis tacta iam est: quia ad voluntatem spectat finem intendere, atque adeo mouere potentias omnes, quæ conducere possunt ad finem, tales vero sunt, quas numerauimus. Atque hoc modo fit reductio potentiarum humanarum ad vnum primum mouens ceteras omnes, vt recta sit, & ordinata institutio nature: qua de causa voluntas comparatur cordi. Ad Rom. 6. *Charitas Dei infusa est in cordibus nostris. Et in Psal. 36. Lex Dei in corde ipsius: nā sicut cor est principium motuum corporis, ita voluntas est principium operationum humanarum, & ideo illæ tantum operationes censentur propriæ hominis, & dignæ premio, vel pœna, quæ à voluntate procedunt.*

6
Vter actus sit prior simpliciter voluntatis ne, an intellectus.

Circa intellectum tamen, & voluntatem est difficultas: nam supra diximus appetitum sequi cognitionem, & potentiam cognoscentem mouere appetitum: mouet ergo intellectus voluntatem ergo non potest moueri ab illa. Respondet sanctus Thom. supra, & opusc. 43. c. 5. intellectum mouere voluntatem per modum cause finalis applicando obiectum, voluntatem vero intellectum mouere effectiue applicando scilicet illum ad operandum. An autem possit intellectus aliquando effectiue applicare voluntatem ad opus, questio est moralis 1. 2. q. 9. artic. 13. vbi de imperio agitur, quæ coram controuersia ab illa distat, quam supra tractauimus hoc ipso libro ca. 3. vbi tantum definitiuimus ad actum voluntatis, neque intellectum, neque obiectum elicitue concurrere. An vero imperatiue, alia questio est, de qua censo breuiter intellectum ex se non posse efficaciter imperare voluntati, nisi forte supposito actu alio eiusdem voluntatis, sic postquam voluntas eligit, valet intellectus efficaciter ei imperare executionem: tota vero illa intellectus efficacitas præuenit ex electione voluntatis, à qua si voluntas forte delinquit, imperium efficax non erit. Quapropter simpliciter, & absolute loquendo intellectus tantum potest motu finaliter voluntatem: voluntas vero intellectum effectiue. Ex quo colliges inter actus harum potentiarum præire primo oportere actum intellectus, cū appetitus vbiq; supponat cognitionem, unde quo ad primum actum non mouetur à voluntate, sed vel ab inclinatione naturali, vel ab extrinseca aliqua propositione obiecti. Vnde primus intellectus actus specialiter tribuitur Deo à D. Tho. 1. p. q. 63. a. 5. fortasse quia Deus speciali providentia gubernat creaturam rationalem, ad illumque proinde pertinet inclinare ipsam ad hoc, vel illud obiectum, maxime in principio sui esse, quod desumptum est ex Aristot. 7. Ethic. ad Eudem. c. penult. scribente dari consilium quoddam naturale ab interiori quodam mouente procedens: in negotijs quippe agendis sæpe experimur actus quosdam apud intellectum nostrum, qui à voluntate neutiquam procedunt, sed vel ex peculiari instinctu Spiritus sancti, vel Angelorum ministerio, vel certe ex suggestionibus demonum, quos oportet cautè discernere, vt monet S. Ioan. prima canonic. c. 4. & Bern. serm. 1. Penult. Motio ergo voluntatis non est adeo necessaria in his potentijs ad agendum, vt sine illa operari omnino nequeant. Sæpe enim alia potentia in actionibus suis motionem intellectus præcurrit.

7
Motio voluntatis à qua dicuntur effectiue moueri potentie reliquæ,

luntariu
specu alia
rum p
tiam qua
lis.

reliquæ, non sic intelligendam esse, quasi voluntas aliquid eis imprimat, vel modo aliquo immediate concurrat ad eliciendos ipsarum actus, est nimirum sola moralis motio, quæ in philosophia naturali, efficientia est accidentaria, in morali vero censetur per se, ac provenit solum ex consensione potentiarum, quæ in eadem anima radican- tur, & habent inter se dictam subordinationem naturalem.

CAPVT VIII.

Virum voluntas sit libera potentia in omnibus suis actibus.

Apud hoc integrum ex autographo præterimus, quoniam latè tractatur in priori tomo de Gratia Prologomendo 1. & in Meta. d. 19. à sect. 2. & ultra, tum etiam non parva pro eodem argumento videri possunt in opusculo 4. de libertate diuinæ voluntatis.

Quæri autem ulterius posset primo, an appetitus rationalis, siue voluntas sit species infima, an potius in homine, atque Angeli specie distinguatur, quod disputant recentiores 1. p. q. 59. art. 1. vbi Cumelitem Franciscus de Herrera in 2. dist. 13. q. 1. & ipse author lib. 3. de Angelis, c. 1. Secundo quæri posset, an voluntas, seu appetitus rationalis distinguatur in homine in concupiscibilem, & irascibilem, sicut appetitus sensitivus distingui multis solet. De quo videndus author lib. 3. de Angelis, cap. 1. post Scotum, & Gabr. in 3. d. 26. & 34. Henricum quodl. 8. q. 15.

CAPVT IX.

Quanam sit perfectior potentia, intellectus, an voluntas.

Hæc questio ultima est de potentijs animæ rationalis, nam postquam de his singillatim dictum est, complementum doctrinæ præstat, ut eas inter se conferamus, id, quod etiam de potentijs sensitivis tractari posset, reiecta tamen in hunc locum est, quoniam in potentijs spiritualibus aptior erit difficultas, ac facile poterit reliquis accommodari. Arguitur itaque voluntatem præminere intellectui primò, quia habet nobilissimū obiectum, ipsam scilicet rationem boni, prima autem, & potissima perfectio rei esse videtur bonitas ipsius. Confirmatur: nam bonum dicit ordinem ad existentiam: verum autem, quod est obiectum intellectus, ab existentia abstrahit, perfectius autem videtur, quod ordinem habet ad existentiam cum hæc sit prima, & potissima rei cuiusque perfectio: ergo, &c. Secundo arguitur ex actibus: nam perfectior est actus voluntatis, quam intellectus, si perfectissimum vnius actum ad perfectissimum alterius comparemus: ergo & voluntas perfectior erit: illa siquidem potentia perfectior creditur, quæ meliori actu se explicare potest. Antecedens patet: quia perfectissimus actus voluntatis est dilectio Dei, ac perfectissimus intellectus est Dei cognitio, melior autem est amor Dei, quam cognitio iuxta illud Paul. 1. Corinth. Maior autem horum est charitas. Confirmatur: nam ordines angelorum distinguuntur secundum eorum perfectiones, ac Seraphini superiori gradu, quam Cherubini locantur: quia hi excellunt in cognitione, illi in amore: ergo amor est perfectior. Tercio libertas est maxima perfectio, voluntas autem est potentia libera, non intellectus: ergo, &c. Confirmatur: quoniam voluntas regit intellectum, ad totum hominem, adeo ut reliquæ omnes potentie ad nutum voluntatis agantur: ergo ipsa tenet primatum inter potentias. Quarto, voluntas totum hominem

Argum. 1.
pro voluntate.

Confirm.

a. Argum.

Confirm.

3. Argum.

Confirm.

4. Argum.

bonum, vel malum reddit: neque enim scientia hominem bonum facit, vel malum, sed virtus, & vitium: hæc autem ex voluntate maxime pendet, quia libertate propria non dantur. Confirmatur, quia hac ratione appetitus sensitivus est perfectior, quam imaginatio, quia ille capax est virtutis: non autem imaginatio.

In hac questione Schola sancti Thomæ, & Scoti discrepant, Scotus enim in 4. dist. 49. q. 4. statuit voluntatem esse simpliciter perfectiorem intellectu, quem discipuli sequuntur. Idem sentit Alenf. 3. p. q. 88. membr. 1. dist. 1. q. 14. Bonavent. Agidius, Argentinas, Gabriel, & Maior in 4. dist. 49. Albert. in 1. d. 1. q. 14. Aureol. apud Capr. ibid. q. 1. At D. Th. 1. p. q. 52. a. 3. è contra opinatur, licet secundum quid, seu in quibusdam actibus voluntas superet: sequuntur eum sui, ac Durand. in 4. d. 94. q. 4. Palud. q. 3. Heruæ quodl. 8. quæst. 9. Capr. in 1. d. 1. q. 2. & d. 3. q. 3. a. 2. Abul. ad c. 5. Matthæi, q. 30. & Venerus 3. de anim. text. 58. videturque sententia probabilior. Vnde sit nostra conclusio. Intellectus est perfectior potentia. Hanc conclusionem declarat sanctus Thomas ex obiectis in hunc modum.

Nam obiectum intellectus simplicius est, & abstractius, quam obiectum voluntatis, ac modo aliquo immaterialius: ergo ipsa potentia perfectior est: nobilitas namque potentie ex nobilitate obiecti desumitur, illud autem obiectum nobilius est, quod est abstractius, & immaterialius. Ostenditur vero antecedens, quoniam intellectus attingit obiectum sub abstractione ab existentia, considerando scilicet nudam rei quidditatem, voluntas vero non nisi in rem, prout habet ordinem ad actuale existentiam terminatur: nihil enim appetitur, nisi vel prout actu existit, vel exiturum est. Hanc rationem Scotus cavillatur multipliciter: eam vero prolixè defendit Caiet. supra, quem respicit. Videre licet. Verè autem ratio subtilis est optimè ostendens perfectionem intellectus. Enimvero intellectus potentie vis ea est, ut rem quamlibet possit sub omni præcisione considerare, essentiam ipsam ab existentia separando, & vniuersiusque propriam rationem vestigando. Quod sane vim magnam arguit, immaterialitatemque intellectus ipsius, voluntas autem simplici modo fertur in obiectum appetendo existentiam illius: qui certè minus operandi minus subtilis est, minusque immaterialis. Secundo arguitur. Potentia intellectiva immediatius sequitur ex animæ essentia, voluntas vero medio intellectu: hic ergo est perfectior. Consequentia exponitur: nam quādo passio vna ex alia sequitur, seu potius mediante alia, quæ immediatius sequitur ex essentia præstat ei, quæ sequitur mediare, cum sit veluti principium alterius. Antecedens autem suadet, tum ex communi ratione potentie appetitive, quæ ex potentia cognoscitiva cōsequitur, sicut appetitio sequitur ex cognitione: tum ex propria ratione voluntatis, cui libertas, ut diximus, ex indifferentia, & pfectione intellectus nascitur. Tercio Dignitas hominis potissime ex intellectu desumitur, & ideo tanquam differentia essentialem illius assignamus, quod intellectus sit, seu rationalis, id vero principaliter habet ab intellectu, cum voluntas rationalis sit ex participatione illius: præcedit ergo intellectus. Id quod etiam inde ostenditur, quoniam voluntatis radix ipse intellectus censetur: siquidem eo ipse, quod asserimus hominem esse rationalem, quasi virtute & radice pronuntiamus volitum esse, ac liberi arbitrij: quare, &c. Vnde etiam confirmatur ratio, namque potentia per essentiam rationalis, cuiusmodi est intellectus, perfectior est, quam quæ tantum per participationem est rationalis, qualis voluntas, quæ potentia cæca est, nec nisi ratione ducatur, operari valet. Quarto intellectus est regula omnium.

Difficilius
in hac qua-
stione.

Asserit et
formam
restituere
& ab-
tractum
Eius ratio
ex D. Th.

Caiet. Scoti
quem respicit
Defenditur
aliter etiam
ex D. Th.

Ratio

Tercia

Confirm.

Quarta